

Fidei Promotor Antonius Petti praesedit, actus est die 23 mensis Novembris anno 1990. Patres Cardinales postmodo et Episcopi, in Congregatione Ordinaria die 21 mensis Maii anno 1991 habita, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Gagnon, consentiente voce secundas sententias suas dixerunt de fama sanctitatis deque virtutibus heroicis Servi Dei Ioannis Duns Scoti necnon de cultu ei ab immemorabili tempore tributo.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum ad hoc pertinens conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de fama sanctitatis et de virtutibus heroicis Servi Dei Ioannis Duns Scoti, necnon de cultu ab immemorabili tempore ei praestito, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum idem Summus Pontifex referri iussit.

Datum Romae, die 6 mensis Iulii A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

68 Eduardus Novak,
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

III

ROMANA ET MATRITEN.

DECRETUM

Canonizationis Ven. Servi Dei Iosephmariae Escrivá de Balaguer, sacerdotis fundatoris Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis et Operis Dei (1902-1975).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilis Servus Dei Iosephmaria Escrivá de Balaguer natus est Barbastro, in Hispania, die 9 Ianuarii, anno 1902. Peculiare charisma ab eo in

Ecclesiae aedificationem acceptum in sollemni consistit proclamatione indolis primigenae, quam praesefert vocatio baptizatorum, utpote ad sanctitatem vocatio. Divina ductus impulsione, die 2 Octobris, anno 1928, Opus Dei condidit, cuius apostolatam paulo post, die nempe 14 Februarii, anno 1930, inter mulieres quoque, divina gratia adiutus, exercendum esse intellexit. Die 14 Februarii, anno 1943, divinitus pariter impulsus, condidit Societatem Sacerdotalem Sanctae Crucis. Amplam ita viam aperuit cuiusque condicionis fidelibus, sacerdotibus et laicis, viris et mulieribus, ad sanctitatem prosequendam et apostolatam enixe peragendum in medio hoc mundo, in suo cuiusque munere vel labore professionali in suoque vitae statu, in adimpletione nempe, ex Dei amore, officiorum vitae cotidianae. Postquam Dei dilatationem per nationes sane multas indefesse moderatus erat, Venerabilis Iosephmaria Escrivá, egregia sanctitatis fama praestans, pie e vita migravit Romae, die 26 Iunii, anno 1975.

Inter opimos fructus ubique gentium ex eius nuntio ortos, qui in compaginem pastoralem solidam et organicam etiam effloruerunt, Christus Dominus ei largitus est, ut admirandam salutiferam fecunditatem contemplari posset, quae, ex quaesita plena unitate cum Christo in cotidianis officiis, ad christianam vitam in mundo propagandam effunditur.

Quo mortuo, innumerae voces multis in nationibus audita sunt, quae sanctitatis famam toto eius vitae tempore testabantur. Quapropter, servatis omnibus iuris praescriptis, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die 9 Aprilis, anno 1990, decretum de Venerabilis Servi Dei virtutibus gradu heroico exercitis edi iussit.

Iamvero haec sanctitatis fama permultis confirmata fuit caelestibus gratiis, Venerabili Iosephmaria Escrivá intercedente, uti fertur, a Deo concessis, quarum aliquae miraculi speciem revera induere videntur. Inter miras sanationes, quae eiusdem Venerabilis intercessionem attribuuntur, illa exstat valetudinis redintegratio, quam in se ipsa experta est Soror Concepta Boullón Rubio, e Congregatione Carmelitarum a Caritate, annos nata septuaginta: quae, cum in summo vitae discrimine versaretur, invocato caelesti auxilio praefati Venerabilis, mense Iunio, anno 1976, statim, perfecte ac stabiliter convaluit a morbo, quem Consilium Medicum Congregationis de Causis Sanctorum lingua italica his verbis descripsit: « *Lipocalcinogranulomatosi tumorale in soggetto di razza bianca con localizzazioni multiple dolenti e invalidanti, con volume massimo di un'arancia a livello della spaila sinistra* ». Simul vero alia aderant morbi indicia, ab eodem Consilio Medico sic definita: « *stato cachettico in paziente con ulcera gastrica ed ernia iatale complicata da grave anemia ipocromica* ». Statim ac tumiditates dilapsae sunt,

Soror Concepta Boullón mirum in modum melius valuit ab hoc quoque morbo perfectamque tandem sanationem assecuta est. Idem Consilium Medicum statuit prognosim esse graviter infaustam quoad vitam et quoad valetudinem.

Qua super mira sanatione, conditus est processus cognitionalis, apud Curiam Archiepiscopalem Matritensem a die 21 Ianuarii, anno 1982, usque ad diem 3 Aprilis eiusdem anni. Cuius inquisitionis iuridica forma et vis agnitae sunt per decretum huius Congregationis, die 20 Novembris, anno 1984, editum.

Servato iuris ordine, idem prodigialis eventus subiectus est in primis examini Consilii Medici, apud eandem Congregationem instituti. Cuius sodales, congregati in coetu diei 30 Iunii 1990, praeter naturae vires et modum, praefatam sanationem contigisse unanimo consensu affirmaverunt.

Deinde eadem sanatio disceptationi theologicae est subiecta primum, die 14 Iulii, anno 1990, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, moderante Rev.mo Domino Antonio Petti, Fidei Promotore; postea, die 18 Iunii, anno 1991, in Congregatione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, ponente Em.mo ac Rev.mo Cardinali Eduardo Gagnon, in Palatio Apostolico Vaticano coadunatorum. Et in utraque congressione, dubio proposito, num de miraculo constaret necne, Venerabilis Iosephmariae Escrivá de Balaguer deprecatione a Deo patrato, astantes omnes suffragium protulerunt affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infra-scripto Praefecto, necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater, declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Venerabili Servo Dei Iosephmaria Escrivá de Balaguer, Sacerdote, Fundatore Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis et Operis Dei, videlicet de instantánea ac perfecta stabilique sanatione Sororis Conceptae Boullón Rubio, mulieris ex alba stirpe, a Lipocalcinogranulomatosi tumoralis, quae comparebat multis in corporis locis, dolorem simul et invaliditatem generans, volumen maximum aurei mali attingens in umero sinistro; necnon a statu cachectico in muliere laboranti ulcere gastrico necnon hernia iatali, quae deterior reddebatur ex implicata gravi anhaemia hypochromica.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 6 mensis Iulii A. D. 1991.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

ES Eduardus Novak,
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

IV

SEGUSIEN.

DECRETUM

Canonizationis ven. Servi Dei Eduardi Iosephi Rosaz, episcopi Segusiensis, fundatoris Congreg. Sororum Franciscanarum Missionariarum Segusiensium (1830-1903).

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilis Servus Dei Eduardus Iosephus Rosaz, inter octo filios septimo loco natus, Segusii die 15 mensis Februarii ortus est anno 1830 a familia, quae eum in via Domini a pueritia duxit. Animadversa vocatione ad sacerdotium, seminarium dioecesanum suae urbis est ingressus et die 10 mensis Iunii anno 1854, optime praeparatus, sacrum presbyteratus Ordinem accepit. Capituli cathedralis canonicus fuit, ephebei civici rector et postea seminarii episcopalis. Peculiari cum studio pastoralis se dedit ministerio, praesertim Dei verbo praedicando et catechesi tradendae ac paenitentiae sacramento subministrando.

Caritate erga egenos impulsus, condidit Congregationem Sororum Tertiariarum Segusiensem Sancti Francisci, quae hodie Franciscanae Missionariae Segusienses vocantur et in curandas educandasque puellas incumbunt similiter ac in assidendum aegrotis et senibus. Institutum apertum est die 8 mensis Octobris anno 1882, septimum sollemnibus saecularibus incidentibus diei natalis sancti Francisci Asisinatis, quem Servus Dei singulari prosequabatur veneratione.